
445

G


282

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 G 282



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 G 282

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 G 282



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 G 282



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 G 282



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 G 282

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 G 282

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 G 282

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 G 282

445 G 282

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS
DE
PROBATIONIBUS.
QUAM,
Annuente Deo Ter Opt. Max.
Ex Auctoritate Magnifici Domini Rectoris
D. JACOBI PERIZONII ANT. F.
In hac Academia Franequerana Hiſtoriarum, tum Sacræ, tum profanæ, Profeſſoris Celeberrimi.
NEC NON
Ampliſſimi Senatus Academici unanimi conſenſu, & Nobiliſſimæ FACULTATIS JURIDICÆ Decreto,
PRO GRADU DOCTORATUS
Summiſque in utroque Jure Honoribus ac Privilegiis ritè & ſolenniter conſequendis,
Publico eruditorum examini ſubmittit
FRANCISCUS DE VICQ,
Amſtel. Batav.
Ad diem xx. Junii horâ locoque ſolitis.



FRANEQUERÆ,
Apud JOHANNEM GYSELAAR, Ordd. Friſiæ atque Eorundem Academiæ Typograph. Ordinar. MDCLXXXIX.

KONINKLIJKE BIBLIOTHEEK

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 G 282

Ampliſſimis, Conſultiſſimis ac Spectatiſſimis VIRIS

D. FRANCISCO de VICQ,

Exſcabino, Senatoriæque dignitatis Amſtelodamenſis civitatis viro celeberrimo, Lacus Dimerienſis Archiballivo & aggerum præfecto ſtrenuiſſimo, Indiæ Occidentalis Societatis Aſſeſſori vigilantiſſimo, parenti ſuo omni cura & reverentia in æternum colendo.

D. GERBRANDO PANCRAS,

J. U. D. Amſtelodamenſium Reipublicæ Commiſſario digniſſimo, avunculo ſuo optime de ſe merito, nunquam non honorando.

D. BRUNONI vander DUSSEN,

J. U. D. urbis Gaudanæ Syndico præſtantiſſimo, avunculo ſuo plurimum venerando.

NEC NON

Nobiliſſimis, Generoſiſſimis, Ampliſſimis VIRIS

D. JOANNI CORVER

J. U. D. Amſtelodamenſis Reipublicæ Conſularis Senatoriæque dignitatis ornamento graviſſimo, Illuſtris ejuſdem reipublieæ Gymnaſii, nec non Scholæ trivialis Curatori diligentiſſimo, Societatis Indiæ Orientalis Præfecto prudentiſſimo, cognato ſuo ſummopere colendo.

D. JOANNI HUDDE,

Domino de *Waveren*, *Boxholt*, *Ruyge*, *Wilnis*, Ejuſdem Reipublicæ Exconſuli, & Senatori præclaro, Societatis Indiæ Orientalis Curatori ſpectatiſſimo, agnato ſuo omni honore proſequendo.

Hanc diſputationem inauguralem ea, qua decet, reverentia,

D. D. D.

AUCTOR.

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS
DE
PROBATIONIBUS.

CUm, antequam ab hac almâ Friſiorum Academiâ decedam, & ad forenſia me conferam, aliqua ſtudiorum meorum ſpecimina proferre conveniens ſit; idcirco, tam in theoriâ quàm in praxi hanc celebrem de Probationibus Materiam, pertractare apud animum conſtitui.

Probare, unde Probatio deducitur, varias in jure noſtro ſignificationes habet, quarum aliquas recenſendas exiſtimavi, priuſquam ad hanc nobiliſſimam materiam progrediar.

Probare, ſecundum vulgatam ſignificationem, eſt

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 G 282

eſt dubium & obſcurum certum reddere & efficere.

Probare uſurpat *Ictus in L.* 36. §. *ult. ff. ad Municipal.* pro, agnoſcere & ſuſcipere.

Aliquando *probare* pro experiri, vel periculum facere, ſumitur. *l.* 15. *de pericl. & commod. rei vendit.*

Probare etiam pro perſuadere uſurpatur. Sic Ovid.

Prodere rem Danaum finxit fictumque probavit.

Probare hac in materia eſt, judici aliqua de re fidem facere. *l.* 12. *ff. de probat.*

Probatio itaque cum magno difiniendi artifice Jacobo Cujac: definitur, quod ſit *Legitima fides, quam judici de intentione ſua facit actor vel reus vel uterque.* Dicitur in definitione *legitima*, quoniam probatio debet legibus eſſe conformis neque dubia, aut à cauſa, quam actor intendit, aliena.

Præmiſſâ probationum definitione, earum diviſionem tractare aggredior in artificiales, & inartificiales. Quæ diſtinctio Rhetorum & Philoſophorum, ut tradit *Quint. in lib:* 5. *cap.* 1. etiam in jure noſtro locum habet. Illa dicitur quæ per neceſſaria argumenta ex ipſa cauſa deſumitur. *l.* 2. *C. de teſt. l.* 19. *C. de rei vind.*

Veluti ſi peperit mulier, neceſſe eſt eam coiviſſe; partus probatur quidem teſtibus, alterum ex ipſis argumentis colligitur, quoniam non poteſt eſſe, ut ea quæ peperit, non cum viro coiverit.

Hæc fit per teſtes & inſtrumenta. *l.* 15. *C. de fid. inſtrum.*

Per

Per teſtes intelligo perſonas, ad fidem rei faciendam adhibitas, quæque ex cauſa, jure civili cognita, ad teſtimonium dicendum non prohibentur.

Per inſtrumenta ſignifico ſcripturas, quibus judici intentionis noſtræ fit fides, quanquam aliquando latius ſumuntur, ut omnia, quibus cauſa inſtruitur, comprehendant. *l. 1. ff. de fid. inſtrument.*
Cum autem inſtrumenta ad fidem rei geſtæ comprobandam ſint comparata, ſequitur quod eandem vim obtineat fides inſtrumentorum, quàm depoſitiones teſtium. *l. 15. C. de fid. inſtrumento.*

Quæ regula multas habet exceptiones, nam multi dantur caſus, in quibus majorem vim habent inſtrumenta quam teſtes.

1. In ætatis probatione. *l. 3. C. ſi min. ſe maj. dix.*

2. Cenſus & monumenta publica ſunt potiora teſtibus. *l. 10. ff. de probat.*

3. Contractus, quem conventione in ſcriptis celebrari placuit, non niſi perfectis inſtrumentis probatur. *l. 17. C. d. fid. inſtr.*

Neque probationis in Plenam, & Semiplenam diviſio commentitia eſt; Plena eſt, quæ fit per inſtrumenta, & teſtes omni exceptione majores, adeoque judici plenam fidem facit. Semiplena eſt quæ ex. gr. uno teſte judici ſemiplenam facit fidem.

Sic uſu fori libri mercatorum etiam judici ſemiplenam faciunt probationem, ita ut proferenti

juramentum ſuppletorium deferri poſſit. *Gail. l. 2. obſ. 20.*

Quamvis regulariter ad probandum requirantur duo teſtes, & quidem oculati non vero auriti, (niſi quod in judicio finium regundorum teſtes de auditu admittantur *l. 28. ff. de probat.*) dantur tamen multi caſus, in quibus ſpeciali numero teſtium opus eſt, ſed quoniam hoc ab inſtituto meo alienum puto, aliis relinquo.

Sequitur jam tertia probationum diſtinctio in Ordinariam, & Extraordinariam, quarum illa dicitur quæ ſolenni ordine peragitur, ut per teſtes & inſtrumenta; hæc quæ fit per jusjurandum, aut adverſarii confeſſionem. Dicitur jusjurandum extraordinaria probatio: quoniam proprie non eſt probatio, ſed magis ſeſe ad animorum ſecretum refert; Vim tamen probationis habet jusjurandum, & generaliore probationis ſignificatione continetur. *L. 11. C. de reb. cred. L. 11. ff. de Jurjur.* in qua lege ait Ictus: *Quod perinde haberi debeat, quod juratum eſt atque ſi probatum eſſet.* Sic etiam confeſſio adverſarii proprie non eſt probatio, cum ad probationem duo teſtes deſiderentur, licet vim & effectum habeat probationis. *L. 1. ff. de confeſſ.* Confeſſioni extrajudiciali hæc vis non tribuitur, cum non præſumatur ita deliberatò facta, ſed ea confeſſio tantum ſuſpicionem inducit.

Hac occaſione quæritur, An etiam fama probationem inducat? Quod negandum eſt, cum fama

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 G 282

ma ſæpe mendacio alatur, & nemo tam innocens ſit, qui maledicorum hominum ſermones vitare poſſit; ſi verò aliis cum conjecturis & circumſtantiis concurrat, probationem inducere poteſt. *L.* 3. *ff.* §. 2. *de teſtib.* Cujus deſcriptionem elegantiſſime nobis tradit Virg: 4 *Æneid:* cum inquit:

Monſtrum horrendum ingens, cui quot ſunt corpore plumæ,
Tot vigiles oculi ſubter, mirabile dictu,
Tot linguæ, totidem ora ſonant, tot ſubrigit aures.
Nocte volat cœli medio, terræque per umbram
Stridens, nec dulci declinat lumina ſomno.
Luce ſedet cuſtos, aut ſummi culmine tecti,
Turribus aut altis, & magnas territat urbes,
Tam ficti, pravique tenax quam nuncia veri.

Neque homicidium per effluxionem ſanguinis ex cadavere occiſi, accuſato adſtante, probatur, cum hæc tantum ſit vaga mortalium conjectura. Sic etiam probatio quæ apud Veteres in uſu fuit, per aquam frigidam aut ferventem, ferrum candens, ſacram hoſtiam hodiernis in foris improbata eſt; Nam ait Ictus *in L.* 5. *ff. de pœn. Quod ſatius ſit impunitum relinqui facinus nocentis, quam innocentem damnari.*

Quantum vero fidei probationibus habendum ſit, judicis arbitrio relinquendum eſt: nam judex exiſtimationem, dignitatem, facultatem teſtium conſiderare debet. *L.* 3. §. 1. *de teſt.* Ita ut plus fi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 G 282

dei pluribus quam paucioribus, honeſtis quam maculatis, locupletibus quam egenis, tribuere debeat. Quamvis verò homines viles & pauperes plane non arceantur, tamen minor aliquando iis fides habenda eſt: quoniam pecuniâ facilius quam divites corrumpi poſſe creduntur; aliquando vero arcentur, ſi copia honeſtiorum adeſſe queat. *Nov.* 90. *cap.* 1. Quomodo teſtes recipiantur, cogantur, examinentur, eorum dicta deſcribantur, publicentur, inſtrumenta proferantur, quoniam hoc magis ad Judiciorum materiam pertinet, hìc explicare mens mihi non eſt.

CAPUT II.

HActenus de variis probationum generibus, cum vero judicia exerceri non poſſint, niſi aliquis onus probandi ſubeat, videndum eſt, cui onus probandi incumbat. Probare debet is qui affirmat, non qui negat. *L.* 2. *L.* 21. *ff. de Prob. l.* 23. *C. de prob.* Cum ei, qui negat, nulla defenſio ſit neceſſaria, ſi affirmantem probationibus deſtitui confidat; nam tum eum abſolvi oportet, etiamſi nihil ad defenſionem attulerit *L.* 4. *C. de Edend.*

Sed quoniam actor plerumque affirmat, & cauſam, ex quâ agit probat, hinc regulariter colligimus actori, non verò reo, incumbere probationem *L.* 7. *C. de Teſt.* Sed ne quis forte ex verborum figura decipiatur, cum affirmans ſæpe intentionem ſuam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 G 282

ſuam verbis negativis proponat, idcirco magis ex ſententia reique natura, quam ex verborum figura quis ſit affirmans vel negans colligendum eſt: Cujus rei per totum jus plurima occurrunt exempla, quorum aliqua illuſtrandi cauſa commemorare conſtitui.

1. Eſt in eo qui negat emancipationem rectè factam; is enim hoc probare debet, cum ipſe videatur affirmare filium adhuc in patria poteſtate eſſe. *l.* 5. §. 1. *de Probat.*

2. *In l.* 8. *ff. de Prob.* In qua lege filius, qui negat ſe eſſe in poteſtate patris, hoc probare tenetur, quoniam contendit ſe ſui juris eſſe.

3. *In l.* 1. *ff. de Ventr. inſpic.* Ubi is, qui negat mulierem eſſe prægnantem, hoc probare tenetur, licet hoc ſpeciem negationis habeat, ineſt tamen quædam affirmatio, quoniam qui dicit mulierem non eſſe prægnantem, affirmat vacuo eam eſſe ventre.

Hi itaque & ſimiles caſus per totum jus civile diffuſi ſunt, ita ut alia multa exempla adduci poſſent, ſed illa, quoniam his perceptis, de cæteris judicare difficile non erit, prætermitto. Prædicta Regula, quæ nobis tradit, actori, non reo, incumbere probationem, multas in jure patitur exceptiones

1. In exceptionibus, quas reus profert: quoniam enim in illis actoris partibus fungitur, & jam non negat, ſed dicit aliquid & intendit, ſequitur ipſi onus probandi incumbere. *l.* 1. *ff. de except. l.* 19. *ff. de Probat.*

bat. Niſi exceptio quam profert in terminis mere negativis conſiſtat, veluti ſi aliquis confeſſus ſit in chyrographo ſe mutuam accepiſſe pecuniam, ſpe futuræ numerationis, antequam acceperat, is qui illud habet chyrographum petit pecuniam tanquam numeraſſet, alter vero excipit ſe non accepiſſe pecuniam, quæritur igitur quis probare debeat? Reſpondeo, quod creditor non poſſit elidere exceptionem, niſi aliunde probet numerationem vere eſſe factam. *l.* 3. *l.* 5. *l.* 10. *C. de non num. pecun.*

Sed ſi biennium ſit elapſum, is qui in chyrographo confeſſus eſt, nullo modo ſolutionem effugere poteſt, etſi onus probandi contrarium in ſe ſuſcipere velit. *l.* 8. *l.* 14. *C. d. Non num. pecun.*

2. Si reus onus probandi in ſe ſuſcipiat, quoniam favori pro ſe introducto renuntiare poteſt. *l.* 14. *h. Sand. l.* 3. *t.* 2. *defin.* 1.

3. Si gravis contra reum militet præſumptio, quoniam præſumtio transfert onus probandi in adverſarium. *l.* 12. *ff. de probat.*

Ut ſi teſtator in teſtamento ſuo viginti florenos legavit, ipſe poſtea in codicillis totidem florenos eidem legavit, actor jam petit legatum & teſtatorem duplicare voluiſſe ait; reus è contra dicit, teſtatorem oblivione prioris legati, non multiplicandi animo, illos nummos codicillis legaſſe, quæritur cui ergo incumbat probatio? mihi videtur, reo incumbere: cum præſumtio ſit pro legatario, teſtatorem voluiſſe conduplicare legatum.

4. Eſt

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 G 282

4. Eſt in judiciis familiæ erciſcundæ, communi dividundo, finium regundorum, quia in his uterque litigantium tam actoris quam rei partes ſuſtinet. *l.* 10. *ff. fin. reg.* Nec diſcerni poteſt uter actor vel reus dicendus ſit, quoniam utraque pars habet intentionem diviſionis impetrandæ, utraque eaſdem probationes facere debet, ad utroſque diviſio æqualiter pertinet, ſed cum ad formam judicii neceſſarium ſit, ut alter actor, alter reus habeatur, idcirco qui prior alterum provocavit, actoris, qui provocatur, rei loco habetur, ſi vero uterque ſimul provocaverit, ſorte res diſcernenda eſt. *l.* 13. *l.* 14. *ff. de judic.* Ex eo etiam judicia duplicia appellantur; nec tamen duplicitatis illa ratio ſemper obtinet: nam ſi alter ſolus confuſione limitum ſe læſum conqueratur, qui gravatus eſt ſolus actoris, alter ſolus rei partes ſuſtinet.

Diximus cui onus probandi incumbat; quoniam verò nemo probare poteſt, niſi ipſi notum ſit quid probare debeat, idcirco quid probandum ſit vel non, breviter hic percurremus. Cum probare nihil aliud ſit, quàm rem dubiam certam reddere, & facta ſæpe dubia ſint, videmus materiam probationis circa facta dubia verſari, non circa notoria.

Quoniam ea quæ per ſe clara nec dubia ſunt, nulla indigent probatione, ſed tantum allegatione, niſi per ignorationem judicis, vel adverſarii negationem dubii naturam induant; cum vero multa putentur notoria, quæ reverà notoria non ſunt,

 idcir-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 G 282

idcirco diligenter judex animadvertere debet, ne quod dubium eſt pro notorio accipiat; multò minus verſatur probatio circa jura, cum omne jus certum ſit, & cum leges ita ſcribantur & publicentur, ut in omnium notitiam veniant, judicem jus noviſſe oportet. *l. 2. ff. de jur. & fact. ignor. l. 1. C. ut quæ. des. adv.*

Ad ſublevandum verò laborem judicis, utraque pars jura, quæ pro cauſa ſua facere credit, allegare & ad factum applicare ſolet. Poteſt tamen contingere jus inter cauſarum patronos eſſe controverſum, cum alter hoc, alter illud juris certi eſſe contendit; Quid vero certi juris ſit, judex non ex advocatorum probatione, ſed ex tabulis publicis diſcere debet, quoniam ejus officium eſt, ut ubi de facto conſtet, judicet, quemadmodum legibus aut moribus proditum eſt. *Princip. Inſt. de offic. judic.* In quod eleganter Ariſtot. inquit. *Illorum namque qui litigant, eſt demonſtrare rem ita ſe habere vel non, vel factum quid eſſe, vel non eſſe. Utrum verò magnum vel parvum ſit, utrum juſtum aut injuſtum, ipſum judicem oportet cognoſcere & non diſcere a controverſantibus.*

Quod autem jus non ſit probandum aliquas patitur exceptiones.

1. Si agatur de jure incerto & incuria vel oblivione oblitterato: nam prædicta regula tantum intelligenda eſt de jure certo & verè conſtituto.

2. Si de conſuetudine litigetur, quod jus non ſcrip-

ſcriptum appellatur. §. 9. *Inſt. de j. n. g. & civ.* Etſi aliquando in ſcripturam redigatur, manet tamen jus non ſcriptum: quoniam hoc tantum memoriæ cauſa fit. Cum autem illa in facto conſiſtat, probanda eſt ab eo, qui eam allegat ex conſenſu populi, tractu temporis, & rebus judicatis.

CAPUT III.

Quoniam vidimus, quis & quid probare debeat, & hanc diſputationem juſto ordine peragere animus eſt, tranſeo ad modum & formam probationis. Probatio itaque facienda eſt judici. *L.* 12. *ff. de probat. l.* 2. *C. de edend.* Hoc eſt juriſperito, cui Jus cauſas litigantium cognoſcendi, & de iis Judicandi datum eſt, non imperito. *L.* 11. *C. de judic.* Exceptis majoribus magiſtratibus, qui licet non ſint Juriſperiti, judices eſſe poſſunt, quoniam aſſeſſoribus, quos habent, errores imputantur. *L.* 2. *ff. quod quis. Jur. in alt. nov.* 82. Sic etiam milites & mercatores de rebus ad ſuam profeſſionem pertinentibus judicant. *L.* 17. *C. de judic.*

Quoniam hoc reſpectu pro imperitis habendi non videntur; In quam rem eleganter hoc facit

Indoctis nunquam ſacrum permitte tribunal.

Neque adverſario probatio facienda eſt, quoniam tunc lites eſſent infinitæ: nam probationi noſtræ is nunquam fidem haberet.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 G 282

2. Requiritur ut probatio in judicio fiat. Poteſt tamen aliquando fieri extra judicium, ubicumque judex, qui examinationi præeſt, ſedet. Sic etiam ad illuſtres perſonas & valetudinarias notarium mittere ſolet, qui domi eas examinat. *L.* 15. *ff. de jurj.*

3. Ut id quod probandum eſt, includatur articulis probatoriis, qui debent ex narratis, aut, ut communiter loquuntur, ex viſceribus libelli eſſe depromti, quod probat *Gail.* 1. *Obſerv.* 82.

4. Ut poſt litem conteſtatam fiat, cum ante ignoretur, utrum reus negaturus, an confeſſurus ſit, quod intenditur, id autem notum fit per litis conteſtationem, quoniam per eam judicium conſtituitur. *L.* 1. *C. de lit. conteſt.* Tunc aliquæ dilationes probationis cauſa conceduntur, quas judex, ſecundum locorum diſtantiam & cauſarum conditionem, moderatur. *L.* 1. *C. de dilat.* Regulariter in cauſis pecuniariis ſemel tantum tribuitur, in criminalibus reo tres, accuſatori duæ dantur, cum actor inſtructus eſſe debeat, qui ſciebat actionem ſe velle inſtituere, ille non æquè, cum ſæpe aliquis ex improviſo reus fiat. *L.* 5 §. *fin. de dol. & met. excep.* niſi ex juſta cauſa plures etiam in civilibus dentur. *L.* 7. *L. ult. ff. de dilat.* Uſu fori poſt litem conteſtatam Iudex partibus certum ſpatium præſcribit pro conditione cauſæ, intra quod probationes ſunt faciendæ, quod tamen ex magna cauſa a judice produci poteſt, rariſſime tamen ſolet

let propter incommodum trahendi judicia in longitudinem, ut probat, vir Ampl. *Vlricus Huber* ſupremæ Friſiorum curiæ Exſenator, J&tus clariſſimus præceptor noſter ſummopere honorandus, *in prælect. ad tit. ff. de fer. & dilat.*

Aliquando fit etiam probatio ante litem conteſtatam, ſi mors aut diuturna teſtium abſentia timeatur, quæ *probatio ad æternam rei memoriam vocatur. Authent. ſed & ſi quis. C. de Teſt.* Sic quoque exceptiones dilatoriæ, quæ ad judicium, vel ad perſonas judicium conſtituentes pertinent, ante litem conteſtatam ſunt opponendæ, ut exceptio fori non competentis, exceptio ſuſpecti judicis. *L. pen. & ult Cod. de except.* Quoniam litis ingreſſum illæ impediunt, lite conteſtata præpoſterè proponerentur, nam tunc partes iis renuntiaſſe, & forum tacendo agnoviſſe videntur. Non vero poſt cauſæ concluſionem admittitur probatio, cum litium certus finis eſſe debeat. Niſi quod in criminalibus ad probandam rei innocentiam quovis tempore, etiam poſt ſententiam, probatio admittatur. *L. 1 §. ult. in fin. de quæſt.*

CAPUT IV.

QUemadmodum finis probationis eſt fidem facere judici. *L. 12. ff. de probat.* Sic ejus effectus eſt, ſi plena & ſufficiens ſit probatio; ſecundum acta & probata ſententiam ferre. *L. 14.*

ff. de

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 G 282

ff. de Probat. L. 3. §. 2. *de Teſt.* Si vero probationes inter ſe non conveniant, conciliare eas debet judex quatenus fieri poteſt. *C. in noſtra.* 32. *de Teſt.* Omitti hic non poteſt nec debet notabilis illa & ſæpius agitata quæſtio, Quid judex facere debeat, ſi ipſi aliter de facto liqueat, quam ex probatis conſtet? Non ſecundum conſcientiam poteſt judicare: quoniam tunc contra acta & probata judicat, & ex ſuo unius teſtimonio ſententiam fert. *L.* 9. §. 1. *de teſt.* neque pronuntiabit ſecundum acta & probata, quoniam tunc lædit conſcientiam. *L.* 15. *de Cond. inſt.* Ergo in tali caſu tutius eſſe mihi videtur, ſiquidem tales ſunt judices, ut ab iis provocatio detur, ut a judicando ſeſe abſtineant, & teſtimonio ſuo cauſam ejus, cui injuria fit, apud judicem ſuperiorem adjuvent, cujus rei elegans exemplum exſtat apud *Liv. Lib.* 3. Niſi ſint judices a quibus nulla provocatio eſt, nec ulli judicandi rationem reddere coguntur: quia enim tunc litigatores fidei ac poteſtati illorum ſeſe commiſerunt conveniens, eſſe ex animi ſententia eos judicare, exiſtimo. *L.* 13. *de Teſt.*

Semiplenæ probationis effectus eſt, quod judex, propter inopiam probationis, actori jusjurandum ſuppletorium defert, ad confirmandam fidem probationis. *L.* 3. *C. de reb. cred. l.* 31. *ff. de jurjur.* Nam ſi probationes plenæ adſint, non opus eſt jurejurando, cum judex ſecundum eas procedere debeat; ſi vero ne quidem ſemiplenè probatum ſit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 G 282

ſit, tunc reo non convicto, ſed præſumtione gravato, jusjurandum purgatorium defertur, ad fidem præſumtionis, quâ gravatur, diluendam. Quæritur etiam, an plures rationes, quæ ſingulæ ſunt inefficaces, conjunctæ ſufficientem poſſint efficere probationem? Quod affirmandum eſt, cum, quæ non proſunt ſingula multa juvent, ut demonſtravit Vir Celeberrimus *Cornelius van Eck*, Juris Anteceſſor digniſſimus, præceptor noſter maximè laudandus, *in Princ. Jur. ad Tit. de Probat.* Cui ſententiæ obſtare videtur *L.* 15. *ff. de Excuſ. tut.* Ex qua lege colligere volunt, duo vel plura imperfecta non facere unum perfectum; Sed reſpondeo, quod in dicta Lege agatur de excuſatione tutorum, & quod favore pupillorum receptum ſit, ne duæ imperfectæ excuſationes unam aliquam perfectam efficiant, quod aliter hic in noſtro caſu obtinet. *L.* 5. *l.* 6. *C. de Probat.*

Hæc itaque de hac nobiliſſima materia, pro inſtituti & temporis ratione dixiſſe ſufficiat, ſi quæ B. L. plura cupiat, Maſcardum & alios, qui optimè hanc materiam ſcriptis tradidere, conſulere poteſt.

F I N I S.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 G 282

COROLLARIA.

I.

Primus inter hypothecarios locus datur fiſco in cauſa primipilari.

II.

Tertius locus datur mulieri in dote, adeo ut omnibus ſeu tacitam, ſive expreſſam hypothecam habentibus, præferatur.

III.

Sponſa non habet tacitam hypothecam.

IV.

Invecta in prædium ruſticum non ſunt tacitè pignori obligata.

V.

Qui credidit in refectionem navis non habet tacitam hypothecam.

VI.

Pater filio exhredeato tutorem dare poteſt.

VII.

Succeſſio conjugum non eſt ſublata per Nov. 118.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 G 282

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 G 282

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 G 282